

R. KOOPMANS

EXPOSITIO CONJECTURAE

QUAM FECIT

AD LOCUM TACITI ANN. L. IV. c. 73.

S. A. GABBEMA

FRISIAE HISTORICUS.

AD D. XXIV. NOVEMBRIS

CIƆIƆCCCXVII.

R. KOOPMANS

EXPOSITIO CONJECTURAE

QUAM FECIT

AD LOCUM TACITI ANN. L. IV. c. 73.

S. A. GABBEMA

FRISIAE HISTORICUS.

Regii nostri Instituti Sodales, cum alia, tum hoc quoque propositum sibi habent, ut res scitu dignas, aut observationes aliorum egregias, hîc illic dispersas, aut in obscuro delitescentes, colligant et e latebris in lucem proferant. Multa enim sunt, quae auctores non tanti habuerunt, ut ea seorsim ederent, quaeque, hanc ob causam, suis alieni argumenti operibus, data vel quaesita opportunitate, inseruerunt. Quodsi igitur hae observationes reperiantur in libris, qui paucorum tantum manibus versantur, eo-

dem sane loco eas esse habendas atque nummulos scriniis incognitis abditos, nemo est qui negabit. Sicuti aurum autem et argentum e latebris depromi debent ut praestent usum, sic et illas observationes sepultas jacere vetat earum vis ac momentum.

Ex hoc genere mihi esse videtur conjectura viri Amplissimi S. A. Gabbemae, Frisii quondam Historici, ad locum Taciti Ann. IV. 73. Prostat haec inter alia lectu dignissima in praefatione Belgica ad Editionem alteram carminum Poëtae Frisii *Giseberti Jacobi* F. quae prodiit Leovardiae Anno 1681 (1).

Hujus Giseberti Carmina minime omnium Eruditorum manibus versantur. Plerisque plane ignota sunt, tum ob exemplarium penuriam, tum praecipue ob linguae Frisiacae antiquae neglectum studium. Quod eo magis dolendum est, quo verius nostrae Classis Sodalis EV. WASSENBERGH Vir Cl. *in Specimine Philologiae Patriae*, anno 1793 edito, haec scripserit: „ In monumentis Frisiae nostrae vetustis utique non pauca deprehendas, quae interpretem flagitent, ac, propositi praemii loco, rei bene gestae conscientia, ad se invitent. Verum inter illa, quae cum olim, tum postea a majoribus exstant memoriae prodita, nihil aut ingeniosum magis reperias, aut ab omni parte exquisitius istis carminibus, quae ante hos centum et quinquaginta circiter annos, Musis, quod ajunt, et Apolline dexterrimis, condidit Linguae pariter Frisiorum priscae peritissimus Poëta, GISEBERTUS JACOBI F."

Praeter hoc Philologiae Patriae Specimen nihil, quod sciam, La-

(1) Prima est *Bolswardiensis* anni 1668.

Latino sermone in lucem exiit, quo Poëtae nostro eximio suus constare honos apud exteros possit. Neque multos popularium antiquae linguae Frisiacae studium movet, unde mirum nemini videbitur, si conjecturam in praefatione memorata obiter tantum a viro docto exhibitam, istiusmodi Commentationibus annumerem, quae tandem omnium memoriae penitus excidere et oblivioni tradi soleant.

Liceat itaque mihi, Sodales Humanissimi! hanc Conjecturam vobiscum communicare; Vos autem dirimatis, num digna sit, quae et ad aliorum Eruditorum notitiam aliquando perveniat. Ut facilius autem perspiciatur ratio, qua locus, cujus emendatio proponitur, cum superioribus cohaeret, operae erit pretium, quae huc faciant, e Taciti Annalibus excerpere.

„ Eodem anno (nostrae aerae 28) Frisii, inquit, transrhenanus populus, pacem exuêre, nostra magis avaritia, quam obsequii impatientes. Tributum iis Drusus jusserat modicum, pro angustia rerum, ut in usus militares, coria boum penderent: non intenta cujusquam cura, quae firmitudo, quae mensura. Donec Olennius e primipilaribus, regendis Frisiis impositus, terga Urorum delegit, quorum ad formam acciperentur. Id aliis quoque nationibus arduum, apud Germanos difficilius tolerabatur, queis ingentium belluarum feraces saltus, modica domi armenta sunt. Ac primo boves ipsos, mox agros, postremo corpora conjugum aut liberorum servitio tradebant. Hinc ira et questus, et postquam non subveniebatur, remedium ex bello: rapti, qui tributo aderant, milites et patibulo adfixi. Olennius infensos fuga praevenit, receptus castello, cui nomen Flevum: et haud spernenda illic civium sociorumque manus littora oceani praesidebat. Quod,

ubi L. Apronio, inferioris Germaniae Propraetori, cognitum, vexilla legionum e superiori provincia peditumque et equitum auxiliarium delectos accivit: ac simul utrumque exercitum Rheno devectum, Frisiis intulit, soluto jam castelli obsidio, et AD SUA TUTANDA DIGRESSIS REBELLIBUS. Igitur proxima aestuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat. Atque interim, repertis vadis, alam Canninefatum, et quot peditum Germanorum inter nostros merebat, circumgredi terga hostium jubet; qui jam acie compositi pellunt turmas sociales, equitesque legionum subsidio missos." &c.

Diffitendum non est, verba, quae cum maxime consideranda veniunt, — *soluto jam castelli obsidio et ad sua tutanda digressis rebellibus*, bonum reddere sensum. Neque est indicata codicum varietas a *Lipsio*, *Gronovio*, *Heinsio* aut *Ernestio*. *Hooftius* nostras, P. C. Fil. eandem lectionem secutus, sermone vernaculo, locum sic dedit: „ zijnde nu het slot van de beleegeringh „ ontslaaghen, en de wederspannighen vertrokken om het hunne „ te beschermen." Est porro satis frequens dicendi formula *sua tueri*, *ad sua tutanda proficisci*. Sic Justinus: *Qui cum deserto bello ad sua tuenda delabi vellent*. Et: *Tunc Phrahates Demetrium in Syriam — mittit ut Antiochus ad sua tuenda a Parthia revocaretur* (1). Quod dici solet de iis, qui bellum in hostili terra gerere omittentes, ad suorum tutelam se convertunt.

Nulla igitur adesse videtur ratio, quod a lectione recepta recedamus. Haec tamen adfuit peritissimo Gabbemae, qui *sua tutanda* minus recte positum, et pro eo legendum esse conjecit *Siat'utanda*; mutatione sane exigua si literas; insigni, si sensum

(1) Vid. *Lib*. II. 12. XXXVIII. 10.

sum respicias. Hac enim conjectura probatâ, Frisii non digressi sunt ad *sua tutanda*, sed ad vicum, pagum, vel urbem *Siat'utanda* dictam profecti sunt.

Ut Viri doctissimi sententiam exponamus et emendationem propositam vindicemus tria sunt observanda, ad quae Ipse lectores suos, in supra dicta praefatione, attendere jubet.

1º. Consideranda venit nominis *Siat'utanda* significatio. Compositum est ex SIA, *mare*; et T'UTANDA, *ad finem* vel *exitum*. Vocem SIA antiquitus idem apud Frisios et Daniae populos indicasse, quod nunc per vocem *Zee* exprimitur, patet, tum ex eo, quod Daniae insula, quae *Sialand* olim dicebatur, nunc *Zeeland* efferatur, unde ZAKXZO Grammaticus ortum duxit, qui inde se ipse *Sialander* nuncupavit; tum ex eo, quod in *Legg. Juris. Antiq. Fris.* FIA idem sit, quod nunc *Vee* audit, atque ibidem *in Glossis*, FIA reddatur *Pecunia*, eadem ratione ac pecunia dicitur a pecude.

T'UTANDA postea permutatum cum *Tutgungh*, idem quod *Tho Uytgongh*, Belgicum *'t Uiteinde*, *ad Exitum*, *Finem*, *Terminum*. Notum enim est priscos Frisiae incolas literam *a* plerumque usurpasse, ubi recentiores *e* scripserint, praesertim in vocabulorum terminatione, quod videre est in *Hollandera*, *Britannica*, *Baduhenna* caet. nec non in Frisiorum nominibus propriis, quae tantum non omnia olim in *a* desiisse constat.

Hac vocis T'UTANDA significatione concessa, SIAT'UTANDA erit *maris ad exitum*, vel *maris exitus*, si literam *t*, ob duarum vocalium concursum, euphoniae causa additam putemus, quod mihi non displicet. — „*Soluto itaque Castelli* (cui nomen FLEVUM) *obsidio, digressi sunt rebelles ad* SIATUTANDA," *ad exitum vel finem*

finem maris. Et ejusmodi nomina locorum propria et in Frisia et alibi sunt frequentia ut *Woudsend*, *Oosterend*, *Purmerend*.

2°. At vero nunc altera oritur quaestio de antiquo hujus loci situ. Ad hanc respondere admodum est difficile; quod tamen ipsius Conjecturae momento nihil detrahere quisque videt. Difficultas inde oritur quod, uti totus fere terrarum orbis, sic et Frisiorum regio ingentes mutationes subiit. Insulae *Texel*, *Flieland* caet., undequaque mari cinctae, continenti antiquitus adhaesisse, vel tantum vadis ab illa separatae fuisse videntur. Castellum *Flevum*, Tacito teste, erat ad Oceani littora. Quodsi Oceani sinus eas Frisiae partes, quae nunc *Oostergo* et *Westergo* dicuntur, olim diviserit et sese effuderit usque ad eum tractum, ubi nunc *Berlikum* pagus est, olim *Utgong* dictus (1), SIATUTANDAM hîc loci non sine ratione ponit GABBEMA. Et FLEVUM situm fuisse putat ubi nunc *Flieland* jacet vel *Ter Schelling*, vel etiam propius *Harlingam* in ita dictis vadis, jam dudum alto mari absorptis, in quo consentientem habet *Ph. Cluverium* (2).

Cum

---

(1) *Tegenw. staat van Friesland*. II. 2. bl. 414.

(2) Duae insuper, ut humanissime monuit Cl. EV. WASSENBERGH, (cui ut et Viris Clariss. J. TE WATER et D. J. VAN LENNEP, Classis tertiae Sodales hanc nostram scriptionem examinandam tradiderant) de situ *Siatutandae* feruntur sententiae. „ Harum altera, inquit, a GABBEMA, „ quamquam non additis argumentis, repudiata hanc urbem ponit in „ regione Groningana, ubi *Schiltwolde* vel *Ziddebuyren* pagi siti sunt. „ ABRAH. ORTELIUS in *Thesauro Geographico* in v., et M. A. BAU-

„ DRAND

Cum autem neque monumenta historica, neque tabulae geographicae verum hujus loci situm nobis conservarint, fuisse tamen locum hoc nomine distinctum, docent. At vero et aliud idque efficacius argumentum, praeter hoc et vocis Etymologicam rationem opus est, ne vulgo accepta lectio temere repudiata videatur. Adest revera ejusmodi argumentum, *Gabbemae* omni dubitatione majus visum, cujus nunc, tertio loco, mentio facienda est.

3°. Memorat scilicet hanc urbem *Siatutandam* Ptolemaeus (Lib. II. Ed. Frobenianae p. 127.) quam cum *Flevo*, *Tecelia* aliisque ponit in Germaniae ora Septentrionali. Ita scilicet Auctor: *Πόλεις δὲ τίθεινται κατὰ τὴν Γερμανίαν· ἐν μὲν τῷ ἀρκτίκῳ κλίματι αἵ δε. Φληοῦμ* ΣΙΑΤΟΥΤΑΝΔΑ, *Τεκέλια*, *Φαβίρανομ*, *κ. λ.*

Hinc liquet aetate Ptolemaei, qui sub Trajani et Antonini Pii floruit tempora, urbem fuisse *Siatutanda* non longe a *Flevo* et *Tecelia* dissitam, simulque apparere videtur Taciti locum, scribarum ignorantia corruptum, ex Ptolemaeo esse emendandum. Quam

---

„ DRAND *in Nov. Lex. Geogr.* in v., hujus sententiae auctorem citant HIERON. VERRUTIUM, virum eruditione praeclarum, et auctoritatis non temere spernendae. Alteram sententiam, quae mihi prae caeteris placet, proposuit M. ALTINGIUS *in Notitia Germaniae Inferioris*, P. I. p. 116. qui de *Siatutanda* agens, „ „ Loca ambo, inquit, antiqui nominis custodes *Tekelburg* et *Fliedorp*, ideoque veri situs *Siatutandae* indices fallere nescii, ad Tiammam itaque rivum quondam Reideriae et veteris Ambachti seu Praefecturae distinctorem ea parte, qua hodie Dullarti fluctibus obrutus est." "

Quam conjecturam eo vero similiorem esse putem, quo plus hac ratione Tacito priva sua restituatur brevitas; quoque melius procedat eorum, quae deinde gesta sunt, narratio. Quid enim Frisii, qui non in terra peregrina, sed in sua bellum gerebant, digredirentur ad *sua*, et quidem ad sua *tutanda*? non sane opus fuisset tale digressionis consilium commemorare, cum in tutandis suis ipsa semper posita sit defensio. Quod si autem quis putet ex eo, quod verbum *digredi* significationem habeat abeundi ut sua quisque tueatur, veterem lectionem esse retinendam, hoc sibi habeat responsum: primo stulte acturos fuisse Frisios, si castelli obsidionem solvissent et, ut debellarent hostem, ad suam quisque domum tutandam digressi fuissent; tum, secundo, sequentem Taciti narrationem aperte indicare Frisios non dispersos sed in unum locum degressos fuisse, ibique ita excepisse et profligasse adventantes Romanos, qui eorum terga circumgredi jussi essent, ut inde inter Germanos Frisiorum nomen inclaruerit (1). Non enim Apronius Frisiorum terga circumgredi jubere suos potuisset nisi illi uno in loco essent congregati. Caeterum mirum in modum, quod tertio loco omnino est observandum, fluctuat in verbo *digredi*, ut et *diversari*, *devertere* similibusque, scribendi ratio, ita ut librariis hujus vocabuli usus non constitisse videatur. Exempla vide sis apud Ernestium ad hunc ipsum Tacitum *Ann.* IV. 49. 74. VI. 1. *Hist.* II. 51. et alibi passim (2).

---

(1) Tacit. Ann. IV. 74.

(2) Et habent etiam hoc loco, ut monuit Cl. VAN LENNEP, nonnulli Codd. *Degressis*.